

*Genus deinceps summum* in ipso corpore, est secundum quid omnimodè indistinctus corporis conceptus ( adeoque *Materia deinceps prima* ) sed relativus ad extra, quo corpus v. g. filix, æquè ac aliud corpus, v. g. lignum, se sistit ut extensum quid. Quod si filicem, lignum, & quævis alia similiter extensa, discretè sed distributivè, simul sumas, habes illum numerum minùs abstractum, omnium nempe, sed solorum, corporum, cujus *Idea* sive *Species intelligibilis* extra corpora quævis in mente nostrâ seorsim velut existens, est *Genus illud deinceps summum, τὸ extensum*, seu τὸ *CORPUS* ut sic, dictum, quod omnia corpora sub ambitu suo continet.

§. 9. *Genus corporis subalternum* est remissè indistinctus corporis conceptus, ut *minera* respectu *silicis*: sive *mineralitas* spectetur in ipso corpore proposito tanquàm singulare quid ( v. g. quando *filix* dicitur esse *minera* ) sive spectetur extra corpus propositum, ut *universale*, quando non tam *silicis* propositi *mineralitas*, ut unum ex numero communi *mineralitatum*, sed ipse numerus *mineralitatum* omnium, aut loco tanti numeri *species intelligibilis*, aut *Idea* vel potius *Genus*, h. e. nomen distributivum simul ab omnibus abstractum, attenditur, quod dicitur *Minera ut sic*. Interim *Genus* hoc, *Minera*, *Species* est *Generis* adhuc altioris, v. g. *Corporis ut sic*, ejusque respectu differentiam potius quàm *Genus* in definitione *silicis* facit; unde *filix* dicitur *Corpus minerale*. Diverso enim respectu generis & speciei seu differentię munus una eademque conceptibilitas sustinere potest, ut in simili de materiâ & formâ superiùs jam monuimus.

## CAPUT V.

### De gradibus Formæ.

#### §. 1.

*Gradus distinctionis*, & quidem primùm *ad extra*, sunt, qui spectantur in corpore, quatenus concipitur ut *SPECIES* sub certo genere. Spectatur autem *species* (1) in ipso corpore, v. g. *Species silicis* in *silice* proposito, & nihil aliud est, quam distinctus illius corporis

con-